

DE
ERUDITIONE
MUSICA,

AD

*Virum plurimum Reverendum, Amplissimum
atque Doctissimum,*

JOANNEM CHRISTOPHORUM
KRÜSIKE,

Artium Magistrum & Oratorem Sacrum apud
Hamburgenses disertissimum,

SCHEDIASMA EPISTOLICUM
JOANNIS MATTHESONII.



Accedunt ejusdem literæ
ad V. C.

CHRISTOPHORUM FRIEDERICUM
LEISNERUM
de eodem arguento scriptæ.



Plurimum Reverendo atque Doctissimo

KRÜSIKIO

S. P. D.

M A T H E S O N I U S.




IBI, in omnigenam sedulo inquirenti eruditionem, hasce pagellas inscribere non dubitavi, potius e re esse duxi. Primum omnium hic mihi in mentem venit culta in scholis patriis ante hos quadraginta annos amicitia, cum sub B. Parente Tuo, Præceptore post fata quoque colendo, communibus studiis operam daremus. Accedit artum illud vineulum, quod sub eodem Apollinis præfido Tibi Poëtæ sororias Musicæ manus præbere jubet. Maxime vero impellit me amor illius scientiæ & artis, quibus & teneram juventutem per præcepta initiasse, & maturam non minus ætatem in iisdem exemplis nunc quoque confirmare non erubesco.

Fati me piget, tantam Disciplinam, quæ olim ad universalem sapientiam dux & auctor fuit, nostris temporibus tanta negli-

nigligentia summaque ignorantia obscurari, ut ne genuina quidem ejus facies dignoscí possit.

Vides, Venerande Vir, cohortes integras inutilium terræ ponderum, illorum puto homuncionum, qui cum chelyn aut tibiam digitis saltem fangere possunt, Amphiones sese & Orpheos credunt, genuinæ omnino Musicæ expertes.

Ne autem, horum hominum vitio commotus, inter eruditio-
nibus genera quamplurima, quæ in Vindemiis Tuis Lite-
rariis colligere & scite illustrare diligentissime pergis, bonam
hanc artem alto involvas silentio, hac Commentatiuncula,
exigua quidem, ansam præbere volui, ut de eruditione huc
pertinenti verba nonnulla facere digneris. Ego voti compos-
mihi gratulabor pannum hunc purpuræ tuæ adsuisse. Ita
vale! Scribebam ex Musæo ipsis Idibus Augusti. A. Q. R.
tio i*c* cœ **xxxix.**



Q.D.B.V.



Q. D. B. V.

Subiit animum saepius admiratio, cogitanti, viros literis cæteroquin perpolitos, seculo hoc omnium artium atque scientiarum feracissimo, incongruas & insulsas afferre quæstiones: sicutne inter doctos, qui de musica eruditione aliquid publicis scriptis commentati fuerint? tum etiam, qua ratione Musica pars eruditionis existat, cum cura exposuerint? Sane horum plurimi argumentum ipsum in dubium non vocant, tamen ut inscritia removeatur, & ulterior cognitio addatur: cum plane diversum sit, generali data affirmatione rem non rejicere, & eam solide nosse: pleniores commentarios desiderant. Et his quidem brevibus ad interrogata respondere animus est. Ante omnia vero expediendum erit: quid eruditio generatim; quid eruditio musica speciatim, vel late vel stricte sic dicta, significet?

Latinorum vetustiores vocabulo, *ravus*, præsertim ad crudum æs indicandum, utebantur, quod postea cultiores in vocem, *ravus*, mutarunt, ac triplici significatione notarunt. Prima seu propria & simplex est, qua omne crudum vel impolitum intelligitur: altera, qua imperitos seu ignaros appellamus: tertia, qua in male moratis rusticitatem exprobamus. Virga quoque, qua ad munus quoddam vocati olim donabantur, *ravus* ideo appellata est, quod cortice adhuc obducta, nec denudata erat. Inde activum Grammatici formarunt verbum, *erudire*, quo propriæ politerdi, purgandi, & excoriandi, improprie vero institutionis, informationis, & emendationis operam indicarunt, qua hirsutum, horridum, asperum, & rugosum quasi dolatur & exsculptitur. Quapropter

propter eruditio nihil aliud est , quam per institutionem tradita scientia , ars vel doctrina , atque uti græcis literis eruditus is est , qui græcam linguam bene cillet , sic in reliquis omnibus scientiis hæc vox candem retinet significationem.

Jam ad musicam eruditionem pergamus : atque hic cuivis statim apparebit , hanc ipsam , arctiori sensu sumtam , esse artem seu doctrinam , circa tonorum numeros , voces & modos , sive ad cantum faciendum , sive ad fides aut tibias tractandas , ita versantem , ut discentes inde aptiores reddantur , & non tantum fundamenta hujus artis bene percipient , sed etiam perceptis in executione , ad finem propositum obtinendum , recte utantur .

In latiori vero sensu ac pleno ambitu eruditio musica considerata universalis omnino est scientia , quæ , ut justitia omnes sub se virtutes , sic hæc sub se reliquas scientias comprehendit , ut potius quæstio proponi poscit : cur & qua ratione hæc vel illa docta scientia pars sit Musices ?

His præmissis & fundamenti loco positis , nemini ad prius motæ quæstionis membrum gravis erit responsio , cui non ignotum est , Sebastianum Brossardum , jam pluribus abhinc annis , indices nongentorum & plurium Auctorum , qui de Musica ejusque partibus scripserunt , eruditio orbi notos fecisse .

Horum postea numerum in Critica musica (Part. IV. p. 109. sqq.) plus quam quadringentis nominibus ipsi auximus : quibus tandem J. G. Waltherus accessit , qui in nuperrime edita musica Bibliotheca classem hanc insigni augmento , usque ad tria scriptorum millia , instruxit .

Hi itaque libri , vel in germanica , italica , gallica aliisque vi- vis , aut in græca , latina , & ita dictis mortuis seu proprie doctis linguis consignati , omnes partim data opera , partim locis quibusdam & capitibus , tam in latiori , quam in angustiori sensu , de musica eruditione agunt , discentemque non solum ad canendum & ludendum , sed etiam ad alias doctrinæ partes quamplurimas obeun-

obeundas aptum & capacem reddunt. Optime hoc Megalandro Lutheru perspectum fuit, cuius in Tōmo VIII. Altenburgensi pag. 411. s̄q̄t. h̄ec sunt (*) verba: Musicam semper amavi: hanc artem qui novit, bona est indolis, & ad omnia aptus, &c. hac arte sedulo assuefaciamus juvenes, reddit enim modestos & aptos homines: quod, ni fallor, idem est, ac eruditos. Conf. Plutarch, de Musica; la Mathe le Vayer; Franc. Salin.; Joseph. Zarlin.; L. B. Doni; Pance de Thyard, Second Solitaire; &c. in primis vero Aitken. Dipnosoph. L. 14. cap. 10.

Jam expedita quoque erit responsio ad posterius propositæ quæstionis membrum: an & qua ratione Musica sit pars eruditio-
nis? Theologiam magnam eruditio-
nis partem facere nemo dubi-
tat. Juvat hic iterum Lutherum citato ante loco loquentem au-
dire: Musica, inquit, pulcherrimum & egregium est Dei donum,
immo Theologiae proxima: diabolum pellit, hilares efficit animos,
irām nescit, turpitudinem, fastum, aliaque vitia: post Theolo-
giā Musicæ primum tribuo locum, ac summum honorem. Porro,
cum perpendimus, quibus ex causis, gravissimis sane, verissi-
mum hoc tulerit judicium summus Vir, quod nempe Musica pri-
mario circa diuinās versetur laudes, atque inter omnes artes ac
scientias unica sit, quæ viva voce, dulci cantu, & canoriſ fidibus
diuinum verbum proponat, Numinis honorem & cultum promo-
yeat, ornat, immo animos ad summam devotionem & ecstasi
quandam perducat; manifeste appetet: an & qua ratione pul-
cherrima h̄ec Theologiae soror eximia pars eruditio-
nis appellari possit? Sicuti namque in Sacrae Scripturae investigatione, post
DEUM, absque institutione, labore, diligentia, exercitatione, &
meditatione parum proficimus; ita ad Musicæ culturam Davidis
psalmiticus, ut ita loquar, vel psallens spiritus, & Salomonea canendi
sapientia, hoc est, probe eruditum, diligens, impigrum, acre, in lin-
guis, scientiis, historiis & artibus exercitatum requiritur inge-
niū: præsertim quatenus verum DEI cultum & morum doctri-
nam scopum unice agnoscit. Certe tantus hujus veritatis per
omnia secula consensus est, quanta ipsius Musicæ ætas, quam
nulla

(*) Quæ ex idiomate germanico translatis, una cum illis, quæ paulò post sequuntur.

nulla plane scientia, multo minus aliqua humanæ doctrinæ pars temporis vetustate superat. Recte enim censem, dicente (a) *Vossio*, qui e disciplinis nil musicis volunt esse antiquius: Sc. alias quidam *Timagenes* autor est: omnium in *literis studiorum* antiquissimum Musicen extitisse. At vero laudati Scriptores non de solo cantu aut instrumentorum musicorum tractatione, primis hominibus procul dubio ab angelis traditis, loquuntur; sed in veram eruditio- nem quasi digitum intendunt, & Musicam studium in literis antiquissimisque doctrinam nominant. Eruditum quoque hunc laborem dignissimis olim præmiis summisque honoribus decora- tum fuisse, (b) *Quintilianus* nobis indicat his verbis: num quis ignorat, Musicen, ut de hac primum loquar, tantum jam anti- quis illis temporibus, non *studii* modo, verum etiam *eruditionis* habuisse, ut iidem *Musici*, & *Vates*, & *Sapientes* judicarentur? Alius *Quintilianus*, cognomento *Aristides*, græcorum Musicorum optimus & incomparabilis, ita dicit: (c) Musica est scientia, quæ omni ætati, ac toti vitæ, omnibus denique actionibus sola orna- tum perfecte confert. *Marcus* deinde *Meibomius*, qui antiquissimos autores musicos cum latina versione imprimi curavit, in præmissa ad *Christinam*, *Sueciæ Reginam*, dedicatione, omni jure Musicam appellat antiquissimam *disciplinam*, quæ mortalium ingenia primis mundi seculis ad virtutem & humanitatem excita- vit; immo scientiam, quæ suo ambitu omnem eruditionem & sapientiam complectitur. Tali modo Musicam, sine ulla dubitatione, supremam esse eruditonis partem, quis non fatebitur? Ipse Ro- manæ eloquentiæ princeps, *Tullius*, (d) hoc confirmat, summa, inquiens, eruditionem Græci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus. Conferri cum his possunt explicaciones, quas dedimus, in libro III. Operis, p. 363. 364. cui titulus est, *Orchestra*. Cumque altius interpretationem, quam Aristophanis Scholiastes afferat, contemplamur: *Musici nomine vir omnium scientiarum compos intelligebatur*: facili negotio sensus verborum (e) Platonis apparebit.

Phi

(a) Gerh. Joh. Vossius de Scient. Mathem.

(b) Fab. Quintil. L. I. cap. 17. Instit. Orat.

(c) Lib. I. de Mus.

(d) Lib. I. Tusc. Quest.

(e) Senn. Socrat. in Phaed.

Philosophiam magnam esse Musicam: nihil quippe aliud dicere voluit, quam Musicam esse magnam Philosophiam. Clarissimus noster *Richejus* ad hanc sententiam proxime accedere mihi videtur, dum in epistola, Criticæ nostræ musicæ Tomo II. p. 167. inserta, Musicam effectivam Philosophiam esse perhibet. Qua vero ratione (f) eruditos & (g) fortis creet viros; qua via ad ejus (h) cognitionem eatur; qua de causa (i) eruditioni in genere non tantum ari-numerari debeat, sed & reliquis liberalibus artibus, e quarum numero nec encyclopedista (sit venia verbo) hactenus eam eradicare neç annixi sunt, nec valuerunt, (k) palmam præripiat; ad (l) polymathiam pertineat; (m) mathesin sibi subjiciat; (n) mathema altius sit, ex quo, tanquam ex matre, filia (o) Poesis ortum traxerit; (p) princeps existat omnium, quotquot sunt, scientiarum; in academiis italicis, hispanicis, anglicis, & germanicis a publice constitutis (q) doctoribus tradita sit, & adhuc in quibusdam locis e cathedra publica doceatur; id omne ex infra magno numero citatis locis satis superque constabit. Cum itaque ea de re, ad quam respondere constitueram, tantum verborum adsit, quantum ad veritatis cognitionem satis est, brevitati jam dabis-mus operam, & post verba *Isidori*, paucis expensa, scribendi fi-nem faciemus. Nimirum, laudatus scriptor in Libro III. Erymol. præcellentem Musicæ artis utilitatem in omnibus eruditionis par-

B

tibus

(f) Orch. III. p. 58.

(g) Plutarch. de Mus.

(h) Orch. III. p. 165.

(i) ibid. 282. 204. 205. 207. 212. 240. 771.

(k) Orch. I. in Suppl. Orch. III. p. 207. 212. 250.

(l) G. J. Voss. Dissert. gener. bipart. parte priori, quæ tradit, quibus disciplinis perfecta constet eruditio.

(m) Orch. III. p. 249.

(n) ibid. p. 214.

(o) Joh. Alb. Banni Dissert. de Musices natura. G. J. Vossius in libro de studiis bene instituendis. p. 565. Orch. III. ad Lector. §§. 12. 13.

(p) Beda vener. in Mus. quadr. Orch. III. p. 212. 232. 249. 250. 319.

(q) ibid. 204. 205. Guy Miege &c.

tibus ita profitetur: sine Musica nulla disciplina potest esse perfecta, nihil enim est sine illa. Hujus effati veritatem pulchre & vivis coloribus per omnes, quas habemus, scientias, seu ita dictas Facultates, praesertim per Theologiam, Politicam, (exceptis fori actionibus & causidicorum litibus, quibuscum, Lutherio scribente, Musicae nihil rei est,) Physicam, in primis quod ad naturam toni, auditus & temperamentorum attinet, porro per Ethicam, de qua, Musicam quod concernit, Theo Smyrnaeus & Plutarchus pulcherrime scripsierunt, aliasque Philosophiae partes, & tandem per Mathesin, in qua numerorum & proportionum doctrina subsidio esse possunt, ob oculos ponere facile esset, si temporis & instituti ratio, in aliam occasionem differenda, hoc permetteret. Colophonem itaque hisce imponant, qui inter doctos nostri seculi viros, ad eruditionem musicam facientia, etsi pauca, egregia tamen, publicae luci exposuerunt, nimirum clarissimus *Heumannus* & doctissimus *a Seelen*, magna literati orbis lumina, quibus praestantissimum *Siverum* addere liceat: quorum prior Minervam Musicam, alter Principem Musicum, & postremus Cantores eruditos literis memoriaeque mandarunt. Hæc doctioribus sufficient, qui lineas nostras ab invidorum injuriis satis vindicabunt.



Nobilissimo Eruditissimoque

V I R O

**CHRISTOPHORO FRIEDERICO
LEISNERO**

S. P. D.

JOANNES MATTHESONIUS.

Ad ea, quæ mihi quarto Calendarum Aprilis per literas significare voluisti, paucis, quæ sequuntur, respondere in animum induxi.

Utrum quis haud inficias eat, nec dubitet, Musicam ad eruditionem, in genere sic dictam, pertinere, in eo quidem cardo rei minime vertitur, nec affirmantium sententia rem acutangit, aut exhaerit; potius id verissimum est, eximiam hanc scientiam eruditionem docentis non solum requirere, sed discentes etiam eruditos facere. Nihil enim aliud in brevissima, nuper tecum communicata delineatione ostendere decreveram, quam insignem hanc scientiam ab omnibus ferme Graecorum scriptoribus, Orientis sapientes ut taceant, eruditioni proprie sic dictæ annumerari. Facta mihi inter doctum & eruditum distinctio apprime omnino placet, nec altiorem seu abstractiorem Philosophiam sapere videtur; antecessores vero maioresque nostri, in rebus ipsis nobiscum considentes, ut cogitationum expressionibus, quibus nos nunc utimur, quasque hodie requirimus, plane nobiscum convenient, desiderare, idem est ac velle, ut diversorum capitum sit unus idemque sensus, quodque nostrorum verborum vates esse potuerint. Externæ solummodo verborum formæ & syllabis se alligare mihi servile quoddam videtur; rerum significationes si ponderentur, facile apparebit, cunctos ferme eruditos viros, qui de musica scientia aliquid memoriar prodiderunt, eo ipso singularem eruditionem musicam exposuisse. Nullum certe alium Theonem Smyrnæum sibi proposuisse in suis scriptis finem, quam ut demonstret, Musicæ

culturam & ad virtutem & felicitatem, quales scilicet ethnicus cognovit, viam sternere, quivis facilime videt. Ex innumeris penne locis, quæ cuncta de musica eruditione agunt, unicum exempli causa allegasse sufficiat:

„In libris de Republica, ubi de symphonia musica differit, „(Plato) maxima, inquit, & pulcherrima Politica symphonia sa- „pientia est, cuius est particeps ille, qui rectam videndi rationem „tenet; qui verò ea destituitur, domus corruptor est & civitatis, „sua saluti & integritati nunquam prodest: quippe qui in crassis- „sima ignorantia versatur. Et in tertio de Republica libro, cum „probat solum Musicum esse Philosophum, (*διδάσκων, ὅτι μόνος Μα- στικὸς ὁ Φιλόσοφος*) ait: Per Deos! Musici prius non erimus, ne- „que illi, quos dicimus erudiendos esse (*παιδευτέου*) custodes, quam „omnes temperantiae, fortitudinis, magnanimitatis & magnificen- „tiae species distinxerimus & separaverimus, & quotunque cognata „his aut subcontraria ubique circumferuntur: nec prius etiam, „quam intellexerimus, quibus continentur illa, quæ facere fas est, „cum ipsa, tum imagines eorum: minimeque floccifecerimus in „parvis aut magnis, sed ejusdem artis & studii finibus comprehen- „di reputaverimus. His enim & antecedentibus ostendit, *quantam* „utilitatem ex Musica percipimus, & quod solus Philosophus revera Mu- „sicus sit; vitiosus autem & improbus, Musicae ignarus. Morum „enim probitatem veram & genuinam, quæ virtus consistit in mo- „rum egregia & honesta compositione, sequi bonam rationem, „ait, hoc est, rationi consentaneum usum. Bonæ verò rationis „comites esse decorum, numerorum compositum ordinem, con- „cinnitatem & leporem. Decoremque esse in cantu, concinnita- „tem & leporem in harmonia. Numerorum verò compositum or- „dinem in rhythmo locum habere. Morum autem improbitati, id „est, corruptis n. oribus, proximam esse perversam rationem; id „est, corruptum rationis usum, & perversæ rationis comites esse, „turpitudinem, inconcinnitatem & confusionem in omnibus quae „fiunt, aut imitatione exprimuntur, ita ut *situs Musicus præscriptum fit*, „ille, qui bonos possidet mores, quem esse Philosophum prædicta „quoque ostendunt. Siquidem a primis adolescentiæ annis, cum „animus Musica imbutus fuerit, induit concinnitatem & decorum, habet „quip-

„quippe illa conjunctam cum utilitate voluptatem. Impossibile est, perfectum evadere Musicum, qui decorum in omnibus necessiverit, cuique cognitae non erunt species, id est, ideæ decoris, „ingenuitatis, temperantiae &c. &c.

(Vid. Theonis Smyrnæi Platonici eorum, quæ in mathematicis ad Platonis lectionem utilia sunt, expositio, pp. 12. 13. 14. &c. e Bibliotheca Thuana, editore & commentatore Ismaele Bullialdo, Lut. Parif. 1644. 4.)

Et hujus explicatio loci, reliquis quamplurimis omissis, haud breve co[m]mentationis de eruditione musica caput constituere posset. Aristides, cognomine Quintilianus, (de quo videatur summi Polyhistoris nostri Fabricii Bibliotheca Græca, Lib. III. cap. 10. pp. 259. 260.) saepissime huius eruditionis amplissimam mentionem facit, ut exinde haud difficult negotio, sic dictam *Musicam moralem*, ad hodierni seculi palatum, colligi posse persuasis sim. Plutar-chum, egregium morum doctorem, Aristotelem summum sui temporis philosophum extitisse notum est: ambo vero, cum in suis libris, ad intellectus & voluntatis emendationem scriptis, Musicæ dignum consideratione locum assignarunt, mediis cæteris, quibus ad veram eruditionem consequendam utimur, eam omnino præ-tulerunt. Limites epistolæ si transgredi liceret, prolixoribus ho-rum doctorum verbis in medium productis, id evincerem.

Pythagoras suis discipulis serio mandare consueverat, ut quovis die, cum a somno surgerent (more Persarum aliaruinque Orientis gentium) grata quadam melodia, aures demulcente, ad virtutem animum excitarent, hacque mentis medicina, priusquam somnum caperent, denuo ad sopiendos animi affectus & conciliandam re-quietum uterentur: quod argumentum, inter-alios, *Ramsay*, in libro, quem peregrinantem Cyrum inscripsit, ita proponit, ut lectu sane sit jucundissimum. Insigniores quondam Mathematici non alios, quam Musicæ peritos, in discipulorum numerum adsciverunt, re-cte arbitrati, juvenes per hujus artis præcepta aptiores, quoad intellectum ex voluntatem, ad omnes reliquas scientias addiscendas reddi, maioresque sic præparatos in omnigena eruditione progres-sus

sus facere. In nostris templis qui instituuntur concentus musici, (quorum defensio Georgii Motzii, contra M. Christianum Gerberum, duobus tomis comprehensa, a quovis Theologo hanc in partem legi meretur) non alium habent finem, quam ut per eos honos & laus divini Numinis in ausculantium mentibus excitentur, sive ad meditationem non solum verbi proponendi, sed ad vitæ sanctioris etiam cursum eo alacrius & jucundius peragendum commoveantur. Itaque talpa cœciorem esse oportet, qui proximam inde consecutionem non videat, Musicam nempe, tam juxta antiquissimam, quam novissimam vocis significationem, eruditionem intellectus & voluntatis salutarem efficere. Plura hac de re inveniet, qui librum, Musicum Patriotam vocatum, evolverit. Nonne Lutherus, veræ fidei & eruditionis restaurator, ad musicam eruditionem quoque digitum intendit? hanc scientiam, inquiens, facere gratos, aptos & hilares homines; omnem iram, procacitatem, ambitionem, aliaque nescire vicia. Hoccine est intellectus & voluntatis præcipue emendatio? Gallicus scriptor, Pontus Thyardæus, Cabilonensem quondam Episcopum dignissimus, ad cuius summam & limites fere non habentem eruditionem clarissimus Menagiis Ovidii versum applicat: *Omnia Pontus erat, deerant quoque littora Ponto,* de Musica eruditione procul dubio locutus est, cum in suo, quem *Solitaire second* nominat, libro, Temperantiam, quasi cardinalem virtutem, fundamenti loco ponit, hancque sententiam solide confirmat: *La Musique uraie image de Temperance, i. e.* Musicam veram esse Temperantiae imaginem. Quamplurimi itaque eximii viri, rem ipsam ejusque finem quod attinet, de musica eruditione scripsere: quamvis librorum tituli, quos nobis reliquerunt, auctorum nostræ ætatis sententiis non respondeant: cuius adserti pleniorem demonstrationem, ubi per vires & otium licebit, suo tempore opus, quod meditatur, sub titulo vernaculo: *Der^{*)} vollkommene Capellmeister,* i. e. Perfectus Chori Præfектus vel Choragus, plenius edocebit. Græci, de qua loquimur, eruditionem παιδείας appellarunt: quiique in attenta lectione Musicorum & Philosophorum græcorum, consul-

tis

^{*)} Hujus Operis impressionem, ut & illius, quod sub rubro: *Die kleine General-Baß-Schule*, jamdudum elaboravimus, invidiosa quedam Bibliopolæ pertinacia, scripto contractui contraria, auctori molesta, & multis id expectantibus tediousa, adhuc impedit.

tis simul eorum commentatoribus, operam collocabunt, non solum expresa de eruditione musica verba, plurimaque capita, sed etiam totos invenient libros; etiamsi, ut diximus, tituli librorum non prostent: *περὶ παιδείας Μεγαλῆς*, sed summatim *περὶ Μεγαλῆς*. Vocabulum namque *παιδείαν* apud eos omnino subintelligibatur, & necessariae erat consequentiae; quod si non observes, quævis scientia idem erit ac proficere in literis & deficere in moribus, hoc est, plus deficere, quam proficere.

Eruditis, qui videri volunt, & non sunt, illud Alexandrinum in aures merito insusurramus: aut nomen muta, aut mores! Ipsi homunciones eruditii nomen haud merentur, & tamen aliis invident, qui multis speciminibus & testimoniis illud acquisivere. Quomodo autem potatores & scortatores nomen Musici mereri possint, si vel bethlehemiticos Angelorum cantus imitarentur, nullus video. Sed is est, proh dolor! seculi hujus fascinati miserandus status, ut multis istud valde arrideat; sit fur, sit sacrilegus, sit flagitorum vitiorumque omnium princeps; at est bonus imperator. &c. Eadem ratione dicitur: sit commissator, sit prodigus, sit omnium debitor, sit simulator, sit avarus: at est bonus melothesa, est poeta excellens, est concionator egregius &c. O pulcherrimam Paralogiam! Per has philosophicas & oratorias, ut ita loquar, rei connexæ separationes tota doctrina plane corrumpitur & mutilatur: & qui hinc sibi blandiuntur, vitiis obtutos eruditos esse posse, turpiter deceptos esse credas. Utrumque autem simul veniam esse posse & nego & pernego. Quid enim luci cum tenebris? Phoretice quidem & in abstracto fieri potest; nunquam vero practice & in concreto, ut cum Philosophis loquamur. Primarius omnis eruditionis finis per has subtilitates ita a forma sua & materia separatur, ut nihil, nisi non-ens reliquum maneat. Omnes vero, et cum Methaphysicis porro loqui liceat, formæ rerum & materiae posque usu & fructu nuces sunt cassæ & tintinabula pistillis carentia. Cæterum Musicam singulare honore afficere quidem nonnulli editantur, nec tamen sic ab obtrictionibus sibi temperant, dum exhibent, eminentiores musicos, *per suam artem*, potius ad vitia voluptates, quam ad sui aliorumque emendationem perducere. Rata hæc est & abjecta calumnia, quam Diogenes multo subtiliori tione protulit, cum de chordarum ad concentum intensione scomma

scomma & falso quoddam simile excogitaverat. Ejusmodi diceris teste & sub persona proditur, cœlestem illam scientiam, etiam post interitum omnis reliquæ eruditionis æternum duraturam, adhuc inter quosdam eruditos suspectam & contemtam immerito haberi. Notissima inter usum & abusum distinctio nimis generalis imputata nec removet nec tollit. Pari namque ratione quis dicere posset: homines optimæ indolis per formidissima membra corporis aut excellentiores animi dotes ad varia compelli vitia. Tandem brevissimis, cum omni moderatione, ad hanc objectionem respondeo: *minime artis culpa fieri*, magnos musicos magna habere vitia, uti per urbis vallum non contingit, maxima in maximis urbibus regnare scelera; sed innata cordis pravitate, obstinatione, pervicacia, quibus velificatur, & ambitione scientiæ, memoriæ beneficio apprehensæ, quæ spongiæ instar accepta aqua turget, præcipue vero personata illa nec sincera christiana fide. Perditio tua ex te! non ex arte.

Hæc inter scribendum, mihi nec opinanti nec oscitanti, cumulata pro Musicæ dignitate causarum pondera, ut cum clarissimo & admodum reverendo Krüsikenio, Amico nostro, communicare velis, est quod rôgo. Vale, Amice dilectissime!

Dabam e Musæo, tertio Non. Maii
A. R. S. cœlo cc xxxii.



BIBLIOTECÆ
ROCARIAE
VITERBOENSIS